



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 54. Constantinus & Methodius Sclavorum Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Presbyteris aliquem Archiepiscopali fastigio dignum eligerent, quem deinde Romam mitterent a Papa Consecrationem accepturum; ne Formosum Episcopum gregi suo eripere cogeretur. Præterea Paulus & Grimoaldus Episcopi in Bulgaria remanere jubebantur, novellam Ecclesiam suo labore rigaturi, Formoso autem & Dominico præceptum, ut viam Constantinopolim ad componendas ibi schismatis turbas denuo tentarent.

Sæculum IX.
A. C. 866.

§. LIV.

Constantinus & Methodius Sclavorum Apostoli.

Sub idem tempus & forte per Epistolas ab iisdem, quos memoravimus, Legatis delatas Nicolaus Papa duos fratres Constantinum & Methodium Bulgarorum Sclavorumque Apostolos ad se venire iussit. His Thessalonica patria fuit, atque Constantinus, cognomento Philosophus ob Philosophiæ amorem, a parentibus Constantinopolim deductus & Presbyter ordinatus est. Cum Chazares, missis ad Imperatorem Michaelem Theodoræ filium legatis, petiissent virum, qui eos Fidem Catholicam edoceret, ne hinc a Judæis, illinc a Saracenis, eos suis erroribus inficere conantibus, perverterentur. Imperator Patriarcha,

vit. ap. Boll.
9 Mart. to.
7. p. 19.

Sæculum IX. cha, quem Ignatium fuisse verisimile est
 A. C. 866. ad consilium adhibito, accersitum ad se

Constantinum cum suis Chazarumque Legatis honorifice illo mittit. Constantinus autem, ubi Chersonam, quæ haud procul ab eorum patria aberat, pervenit, ibi aliquamdiu moratus est, ut illo temporis spatio gentis, ad quam mitteretur, linguam disceret. Ea creditur fuisse Sclavonica; illud certe exploratum, in illam linguam Constantinum Libros Sacros transtulisse, cumque cognitio literarum apud eos necdum fuisset illata, ipsum excogitasse novas, quibus illius linguæ populi in hanc usque diem utuntur. Ad Chazares deinde profectus Constantinus omnes a Saracenis vel Judæis seductos convertit, qui eum ad Imperatorem remittentes, in grati animi pignus magna munera obtulerunt; at ille rejectis aliis donis nihil nisi captivorum libertatem sibi expetiit.

Constantino Constantinopolim reverso, Bartilas quoque Moraviæ Princeps, cum ad ejus notitiam pervenisset, quanta bona præstitisset Chazarum genti, ad Michaelem Imperatorem Legatos misit, qui significarent; populum suum Idololatriam abjecisse, & Religionem Christianorum amplecti cupere, sed viros sibi deesse, qui Christi Sacra eos docerent. Misit Imperator Constantinum, fratremque

que ipsius Methodium, abunde suppedi- Sæculum IX
 tans, quæ ad iter erant necessaria. Ad- A. C. 866.
 ventantes Moravi magna lætitia exci-
 piunt, quod Evangelium afferrent in Scla-
 vorum linguam versum, atque Reliquias
 S. Clementis Papæ a Constantino, cum
 Chersonæ commoraretur, inventas. Er-
 go ab iis, qui obviam procedere jussi fue-
 rant, ambo fratres honorifice deducti
 strenue laborem capessunt, infantes litte-
 ris a se inventis imbuunt, majores natu
 officia Ecclesiastica edocent, populum-
 que compluribus erroribus deceptum
 erudiunt. Annis quatuor & mensibus
 sex in Moravia versati, omnes libros ad
 Ministerium Ecclesiæ necessarios ibi re-
 liquerunt. Itaque Nicolaus Papa grato
 nuncio delectatus data epistola Constans-
 tinum & Methodium accersivit. Illi
 Gratias Deo agentes, quod sibi talis ho-
 nor a Papa obtingeret, illico iter Ro-
 mam suscipiunt, adscitis quibusdam Di-
 scipulis, quos, si eos Pontifex ordinare
 vellet, Episcopatus gradu dignos arbi-
 trabantur.

§. LV.

Photius Papam deponit.

At Photius cum intellexisset, Legatos *Metroph.*
 Pontificis Romani in Bulgariam mis- ep. 1388.
 sos Chrisma a se datum rejecisse, atque

O 3

novo